

## ACTVS V

THAIS PYTHIAS

i

*TH.* Pergin, scelesta, mecum perplexe loqui?

“sciõ nescio abiit audivi, ego non adfui.”

non tu istuc mihi dictura aperte es quidquid est?

820 *virgo conscissa veste lacrumans opticet ;*

*eunuchus abiit : quãm õb rem ? [aut] quid factumst ? taces ? 5*

*PY.* quid tibi ego dicam misera ? illum eunuchum negant

fuisse. *TH.* quis fuit igitur ? *PY.* iste Chaerea.

*TH.* qui Chaerea ? *PY.* iste ephebu' frater Phaedriae.

825 *TH.* quid ais, venefica ? *PY.* atqui certe comperi.

*TH.* quid is obsecro ad nos ? quãm õb rem adductust ? 10

*PY.* nescio ;

nisi amasse credo Pamphilam. *TH.* hem misera occidi,  
infelix, siquidem tu istaec vera praedicas.

num id lacrumat virgo ? *PY.* id opinor. *TH.* quid ais,  
sacrilega ?

830 *istucine interminata sum hinc abiens tibi ?*

*PY.* quid facerem ? ita ut tu iusti, soli creditast. 15

*TH.* scelesta, ovem lupõ commisisti. dispudet  
sic mihi data esse verba. quid illuc hominis est ?

*PY.* era mea, tace tace obsecro, salvae sumus :

835 *habemus hominem ipsum. TH.* ubi is est ? *PY.* em ad  
sinist(e)ram.

vidẽn ? *TH.* video. *PY.* comprehendi iube, quantum potest. 20